

ILLVSTRISSIMO ET GENE

ROSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DO-

MINO OTHONI HENRICO, COMITI PALATINO RHENI,

Sacri Romani Imperij Archidapifero &

Electori, Inferioris ac superioris

Bauariæ Duci &c. Mæ-

cænatæ suo clemen-

tissimo.



V M MVLT A SINT, PRINCEPS ILLVSTRIS-
me, diuinæ erga me liberalitatis argumenta, conatus meos in hoc
vtilissimo, & iucundissimo, & olim à summis quoq; principibus &
Regibus adamato studiorum genere, ab ineunte ætate in hunc
vsq; diem mirabiliter adiuuantis & prouehentis: tum in fortunis
meis nihil amplius aut illustrius vel hætenus fuisse, vel in posterum
futurum esse duco, quàm Illustris: tuæ Celsitudinis propensissimam
erga me voluntatem, eamq; liberalitatem, quàm non modo non sperare, sed ne optare
quidem vnq; ausus fui: Ad quàm quid te magis impulerit, quàm naturalis tua bonitas,
& omnium earum rerum singularis amor, quæ ad cultum animi atq; ingenij pertinent,
quæq; vitam mortalium & iuuant & ornant, equidem non video. Nam cum & ingenij
mei tenuitatem agnoscam, nec doctrinam eximiam mihi arrogem: studium tamen, &
diligentiam in discendo, iuuandaq; republica literaria meam, tanto heroi tantopere pro
bari (neq; enim Principibus placuisse viris, ut ille ait, vltima laus est) id ego magnificum
quiddam esse, et raræ cuiusdam felicitatis arbitror, ac cæteris rebus oibus anteponendū.
Quo nomine Diuinæ beneficentiæ gratias agere, & pro incolumitate Illustr: tuæ Celsi-
tudinis, ac diuturno & felici imperio preces offerre DEO, quoad vixero, non desistam.
Nam ut de referenda vel minima gratia desperem, tam dignitatis et meritorum tuorum
amplitudo, quàm humilitatis, & tenuitatis meæ conscientia facit. Summo tamen studio
et indefessa opera in eo elaborabo, ut me gratum esse non potuisse magis, quàm noluisse
& nostra ætas & posteris intelligant. Quam meam voluntatem I. C. T. ita probari, ut
eam muneris amplissimi loco ducat, dici non potest quantopere læter, præsertim absolu-
to hoc difficilissimo & laboriosissimo Ephemeridum opere, in quo conficiendo longo iam
tempore ita fui dies noctesq; occupatus, ut me ipsum penè confecerit. Sed cum tandem
fauore numinis, tuæq; præsentis ope, ex omnibus difficultatibus sim eluctatus: quem poti-
us ex omni copia patronum & Mæcænatem deligerem, quàm I. C. T. nemo prorsus oc-
currit. Siue enim accepta beneficia, siue propensissimam uoluntatem, siue Astronomiæ
amorem, siue coercendi Zoylos facultatem intuear: quis vlla ex parte cum I. C. T. com-
paretur? Quod si vllum vnq; fuit tempus, quo liberalibus disciplinis, mathematicis præ-
sertim & omnium bonarum artium parenti & nutrici philosophiæ, tum benignitate pa-
tronorum, tum autoritate defensorum fuit opus: id certe nostrum sæculum est, quo nisi la-
borantibus & in extremo discrimine constitutis disciplinis succurratur, ne breui ad pri-
stinam barbariem reuoluamur metuendum est. Nam cū artes honos alat, artibus autem
his nostris, non modo in rebus pub: sed & in ipsis academijs aut nullus, aut perexiguus
honus habeatur: aliter fieri non potest quin à plerisq; negligantur, & paulatim veluti
tabescentes deniq; prorsus extinguantur. Nam ij quorum tantæ opes sunt, ut ingenuè
philosophari, et eas artes, quæ propterea liberales dicuntur, quòd non quæstus sed hone-
statis gratia expetendæ sint homini libero, liberaliter colere possent: si non prorsus à